



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

NATIONALBIBLIOTHEK  
IN WIEN

126465-B

ALT-







26.8.376.

58

AD  
ORATIONEM  
PRO  
MEMORIA CELEBRANDA  
VIRI MAXIME REVERENDI  
**CHRISTOPHORI SEIFFERTI**  
GOERLIZENSIVM ANTISTITIS  
CVM VIVERET  
AD DIEM XXI. SEPT.  
INVITAT  
ORD. PHILOS. DECANVS  
**F R I D E R I C V S M E N Z I V S**  
ET DE  
P V D O R E E R V D I T O  
D I S S E R I T.

126465-B



**P**udor ex earum numero notionum vulgo esse existimatur, quae ita nomine perspectae, et intellectae sint, vt nulla interpretatione, et rei, quam exhibere creduntur, definitione repetita habeant opus: at, si diligentius reputamus, varias esse pudoris attributiones, quae naturam afficiunt, et modos diuersos continent, clare perspicimus, vnde sententiarum diuertia fiunt a philosophis, qui de re vna diuersum sentiunt, et vix secum ipsis consistunt vno loco, quando pudoris rationem reddere contendunt, et commune pluribus nomen, cum aliqua rei parte commiscent, et illa, quae casu aliquo adsunt, et quae, re integra manente, amoueri queunt, cum natura eius confundunt: nobis adeo pudor esse dicitur conscientia inepte cogitati, aut dicti, aut turpiter acti, cum exprobratione; qua definitione absolui omnia existimamus, quae ad rei naturam generatim pertinent, et omnes exhibere pudoris species, et differentias proprias: quando vero dicta et cogitata, atque acta nominamus, non modo ad ea respicimus, quae iam dicta, et opere perfecta sunt; sed ea etiam, quae animo proponuntur dicenda, et opere suscipienda, a quibus pudor prohibet, vt saepe iis contingit, qui ad rem accinguntur, quam cogitando penitus cognoscant, et agendo ad finem perducant: cuius operae, vel inepte suscipienda, vel turpiter gerendae, pudet, et abstinet actum, vel stulte, vel improbe conatum: metum cum pudore vulgo coniungunt philosophi, quanquam timor

mor non omni inest verecundiae, neque adeo propriam eius formam exhibet: namque res in occulto acta, turpiter, cuius indicium fieri nequit, pudorem habet male patrantis, metuentis nihil; et si modo secum constituit facinus committere, et subsistit reputando indignitatem rei, et fugit turpe negotium verecundia retentus; vbi pudori locus est, nullus vero metus; et ita inepte, de re quauis disceptaturus, vbi rem suis maiorem viribus cognoscit, et operam se perditum intelligit, animum reuocat, dum pudet conatus praeter rationis suae modum suscepti: et si ad rem inanem, et friuolam se conuertit, et opera abutitur, qua ardue nitendo, nihil efficiat, pudet laboris; et metuit nihil, quando nullus vel accusationis, vel damnationis locus et causa est, qua vel existimationis, vel dignitatis, faciat iacturam, nec poenam metuere queat: veteres philosophi, ut sunt conceptibus vagi, male definiunt: Aristoteles metum esse infamiae dicit τὴν αἰδῶ, et neque in virtutibus esse pronunciat, quia sit animi potius perturbatio, quam virtutis habitus, qui adolescentiam ornet, dedebeat viros, quos nihil oporteat agere, propter quod pudeat; <sup>a)</sup> quae longius a vero discedunt dicta: et quibus omnibus contraria Philosophus probat alio loco: <sup>b)</sup> neque vero aliter Plato docuit, <sup>c)</sup> quando nunquam sine timore pudorem esse constituit, et hanc partem illius esse, quia nemo pudore commotus non metuat de se opinionem admissi peccati; ideoque A. Gelius

a) Mor. L. IV. c. XV.

b) Rhet. II. VI.

c) Eutyphron. p. 12. T. I. Opp. Edit. Serrani: ἵνα μὲν αἰδὼς ἔνθετος δέος.

lius<sup>d)</sup> pudorem timoris speciem appellat, quoniam definitur, quod sit timor iustae reprehensionis, ex philosophorum decreto: cum gaudio vero coniungere pudorem videtur Macerobius, qui ab Gellio nisquam longius discedit, quando et hic cum ipso exquirit, quae faciat causa, ut rubor corpori ex animi pudore nascatur, quod item gaudentibus contingere ait, et de re magis argute, quam docte, disputat.<sup>e)</sup> Verum ex eodem, quod gauisus erubescat, principium pudoris doctissimus philosophus Gallus<sup>f)</sup> elicit, et Aristotalem accusat, quod idem non perspexerit, et arctiore definitio ne rem concluserit, cum genita causa pudoris sit, occulta superbia, quaē iniustum faciat hominem, qui nolit videri unquam peccare, et erroris non vult accusari, et confundi, et nominis iacturam pati, quaque arrogantia non agnoscit se esse hominem errori obnoxium, et falli idoneum: At vero nec omnis punctum tulisse videtur homo doctissimus, nec omnis pudor tuto repetitur ex arrogantia, quando rei male cogitatae, et imprudenter in occulto actae, vel aliquando perficienda, pudor est, qui abstinet acturum, quia stulta est, et prae minus digna: imo vero alieni facti pudor est; namque ita operto pallio capite Socrates parum pudicam orationem audiuit pudens; quem Antonius Julianus Rhetor imitatus est, quando p[ro]ae pudore resupinus capite conuelato amasiorum et veteriorum, Poetarum versus praecinere coactus fuit, uti testatur A. Gel-

A 3

lius

d) XIX, VI.

e) Sat. VII, XL.

f) Esprit de la Fausseté des Vertus Humaines P. II. c. IIX.

## VI

lius;<sup>c)</sup> et omne peccatum eius, cuius reuerentia est, confundit praesentem vel auditorem, vel spectatorem, qui necessarium, et digniorem se colit, et veneratur; quod et Aristoteles docet<sup>h)</sup> θαυμασά� γὰρ ὁι δηλωταj καj ὅταν ἔχω-  
σιν ἀπαταισχύνγειν ἔργα καj πράγματα, η ἑαυτῶν, η προγόνων η  
ἄλλων τινῶν, πρὸς οὓς ὑπάρχει τις οὐτοῖς ἀγχισέια: Sed hic  
nulla intercedit arrogantia: quando autem vir doctus Ari-  
stotelem castigat, quod pudorem dixerit esse perturbatio-  
nem honestam et laudabilem, sed quam admittere vir sa-  
piens et virtuti deditus, nequeat; philosophi orationem  
nec recte percepisse deprehenditur, et videtur iniquus esse;  
dum non dixit Aristoteles esse pudorem perturbationem  
et amabile vitium: et neque de Quintiliano non male sen-  
tit Gallus, vt qui aliud sibi dicendum proposuit, et recte  
de oratoris intempestiuia verecundia existimat, male ad-  
hibita, eo vero saltim reprehensionem meretur Aristote-  
les, quod omnem pudorem sapienti adulto, virtutem aman-  
ti, detergere non dubitauit, atque adeo ab errore, et omni  
labe immunem praestare, cum philosophum meminisse de-  
ceat, se esse hominem, facilem in errorem, deteriora se-  
quentem; et verum est verbum: αἰδὼς ἀγαθοῖς αἰδράσω  
ἔπειτα.<sup>i)</sup> Propria autem ratio pudoris eruditus est, sua  
specie, fronte amabilis, vbiique commendatae, qua doctus  
homo abstinet ab eo, quo nomen laedi suum posse, et exi-  
stimationem, suspicatur: metum habere principium, et in-  
dignationem coniunctam, ita quidem, vt ante metuat, quam  
opinio-

g) L. XIX. IX. h) Rhet. II. VI. i) Theognis.

opinionem aliorum de virtute ingenii sui, et praestantia, in discrimen coniiciat, et famae iacturam faciat; quod ne contingat sibi, ab opere intellectus suscipiendo, et edendo, se continet, et sedulo cauet: si quis vero male conatus successit, neque probatur intelligentibus, pudor est male vel acti negotii, vel saltim indigne aestumatae operae, et praeter opinionem, et spem, vel erroris ex ingenio accusatae, vel saltim non satis, ut ipse de suo iudicauerat, probatae, minus laudatae; vnde non modo laboris perditio poenitentia, sed et pudor propter rem ex voto, et sententia minus cadentem, et famam, et dignitatem laesam, nascitur: non equidem semper arrogantiam habet principium **omnis** eruditus pudor, sed honesta causa est, vbi eruditus diligenter ad scrupulum expendit, quid' vires valeant, et si quid grauius, et captu et dictu magis arduum, cognoscit, sapienter dimittit, ne quid cogitandum, et perputandum ad se pertinere credat, et suscipiat, et proxime operi, suis conatibus grauiori, succumbat, et vanitatis se accusare necessum habeat, et pudorem excitet, honore perduto; quo quidem honesti viri, et ingenui docti, nomen digne tuerit, et laudari a sapientibus meretur: tunc vero, quando pudore modum excedit, et in tempore non adhibet, et praeter rationem, et vbique, timet, ne aliquid viribus conetur magis arduum, et existimationem dubiam reddat, et plane euertat; atque inde ab omni ingenii opere se continet, et auertit, vel timidiusculus accedit, et ita male, fine successu opus curat, et trahit longius, quam ratio postulat, pusilli pudor est, minus decens magnum animum, et eretum,

## VIII

Etum, ad optis idoneum, qui tempore, et viribus recte nouit vti, et sibi decus parare, et aliis prodesse, potest: quam intempestiuam verecundiam in oratore quidem reprehendit summus artis magister Quintilianus<sup>k)</sup> sed admodum modeste et inuitus, quando „vitium oratoris esse dicit, sed amabile, et quae virtutes facillime generet; „esse interim aduersam, multisque in causa fuisse, vt bona „ingenii studiique in lucem non prolata, situ quodam secreti „consumerentur,, atque ita a probitate distinguit hanc verecundiae speciem, quam describit, quod sit „timor reducens animum ab iis, quae facienda sunt, vnde confusio, „et coepti poenitentia, et subitum silentium:,, cuius verecundiae optima emendatio est fiducia: sed quae ad oratorem suum refert Quintilianus, ad cuiuscunque eruditum hominis mores pertinent, ita vt praeter rem, et tempus, et locum, et sui ingenii modum, pudens non esse debeat, nec timidus, sed confisus sibi, et viribus, rei, quam suscipit, aptis, omnem tollit timorem, et aliis prodest, et sibi decus parat: sed quem ille in oratore non fert pudorem, Plutarchus, grauis autor, in vniuersum improbat integro, περὶ δυσωπίας libro, quo vitium esse demonstrat, et sedulo fugiendum monet, atque excessum modi pudoris, ὑπερβολὴν τῇ αἰσχύνεσθαι esse profitetur, et humilis animae indicium, quando vultus simul cum animo deiicitur, et in terram deprimitur, quod ipsum nomen testatur, ex grammaticorum sententia, quibus δυσωπεῖσθαι est idem, quod

k) Orat. Inst. L. XII. VI.

νΦορᾶσθαι, despicere in terram, quod supplicum exorantium est, et effoeminatorum, et mollium animorum esse Plutarchus ait, et recte quidem a vitio cauere iubet: sed vti rationi conuenienter docuit; hoc saltim fallitur philosophus, quod hominem fingit natura pudentiorem, et cultu, sicut in agro stirpes, ne pudeat, emendandum, et perficiendum, cum quidem certum sit recens editum, et sublatum, non pudere, eo usque dum infantiae, et turpitudinis gnarus, de actione, vel inepta, vel minus decora, iudicare incipit, et quod praeposterum est, minus probat, et pudore tegit, et modestiae laudem habet. Caueat autem philosophus a temeritate, et nimia sui fiducia, qua iusto plus sibi tribuit, et indulget animo, ad quodvis opus procliui, quo venari et captare famam, et nomen latius propagare se posse credit, et quodvis adoritur argumentum, nulla ingenii, viriumque ratione habita, et nulla reputatione ac aestimatione sui facta; idque sine omni pudoris periculo, de sua saltim ingenii praestantia persuasus, cui nihil sit arduum, nihil facultibus maius, aut etiam difficilius, quam quod a se possit superari, et conatu vinci: ab horum temeritate non longe absunt mercenarii scriptores, qui fama nominis confisi, nihil non audent lucri causa operis in se recipere, vel sua auaritia incitati, vel bibliopolae larga promissione inducti, honorem, et nomen vendunt; in primis illi, de quibus opinio est ex fama lucrum, ab erudita plebe in primis, sperari; quod sane minus dignum sapiente viro est, et vere docto, quamquam Erasmus, magnum nomen, huius vitii se reum esse

## X

diffiteri non audet, quando queritur, typographos sibi extorquere ouum ante quam pepererit, atque hinc non parere se foetum, sed abortire, ait;<sup>1)</sup> quae quidem, mercedis causa, festinatio facta, laudem non meretur, sed pudorem excitare debuit in Erasmo; et magis in illis, qui fama doctrinae hoc longe inferiores sunt, et se conduci mercede ut stipem extorqueant, ad opus quodlibet, patiuntur; et nominis, vix solida alicuius disciplinae scientia, parti, dispendium faciunt: referri huc etiam illi poterunt, qui rationis inopia, et ignorantia veri, existimant omne ad se pertinere, quod non recte dictum, vel scriptum opinantur; et quo in errorem, homini noxium, alii perduci queant; adeo quicquid sibi videtur aliorum saluti aduersari, id temere pusilli inuadunt; et muliebriter magis, quam docte oppugnant rem, cuius ipsi vel paucas lineas ducere non didicerunt, et dant se turpiter, quod frons, si perficta non ante esset, rubore proderet; quanquam bellam quamcunque occasionem, quam putant, ostentandi ingenii, arripiant, et sacra aequa ac profusa, illotis manibus, tractant, et inquinant: quorum illi fere mores sequuntur, qui dictatorum literariorum ius sibi arrogant, et suum esse existimant alienae menti legem dicere, ad quam cogitando, et discendo, omnes se componant, nisi in ius vocari, et rei laesae auctoritatis esse malint, cuius poenam communi magistro omnium, et praceptorum dent; quae sane temeritas cum impudentia

1) vid. Guil. Saldenus de Libris Cap. III. p. 66.

pudentia arctissimo vinculo connexa est: at summae impudentiae sunt homines, qui nullam habentes rationem, vel sui, vel rei, vel ingenij, consuetudine quasi contracta, libros effutiunt, alios secuti, qui docti appellantur, et olim ludo literario alti sunt, et ferula subacti: sed hac impudentia nullum est turpius crimen, liberali animo indignum; in his in primis sunt poetae et oratores, qui, si nulla se doctrinae parte cum aliis contendere posse intelligunt, inficeto-carmine illudunt plebi imperitae literas professae, et ingenii laudem sectanti, ex eo, si aliorum carmina legunt, et data occasione recinunt, et doctiorum aures obtundunt: hinc poetae sicut fungi nascuntur, qui omnes videri cupiunt Homeri vomentes<sup>m</sup>) qualem Galaton, vel quisquis ignotus artifex,<sup>n</sup>) pinxit; quanquam vix gustarunt extremis labiis, quod ille vomuit: sed tamen hi nostri unostantes in pede non mille versus reddunt; at ante quam gallus iterum cucurit libri illis excidunt, impudentiae praeclaro testimonio: meminisse debebant hi tales, secula, quo magis poetarum feracia sunt, eo magis laborare verae eruditionis, et solidae doctrinae, inopia; et eos vulgo ad laudem ex carmine adspirare, qui de gloria scientiae rerum, quae ex visu hominum sunt, desperant. Et non minore fere impudentiae iure se praeferunt, qui laterum sola firmitate confisi oratores se dicunt, et panegyricas orationes pretio vendunt, et parentationibus merentur gratiam, et Trachallos se credunt esse, si

B 2

aliis

m) Aelianus V, H. L. XIII. 22.

n) Iunius in Catalogo artificum.

aliis vocaliores sunt stentores, super omnes tragoeudos, quos Fabius commendet; <sup>o)</sup> sed meminisse hi debebant non solum vocem laudare, sed eruditionem oratoris vocalis, artis dicendi magistrum, et vocem esse instrumentum, et decorum, et latus, quae frequenter famam ingenii faciant oratoris, non artis: abominanda autem esse vitia confidentiae, temeritatis, improbitatis, et arrogantiae, quae erudito viro fugienda sunt. Liberalem vero magis, et ingenuum, et prudentem esse voluit litterarum alumnū, quem annuo munere testamento donauit Vir Maxime Reuerendus CHRISTOPHORVS SEIFFERTVS, Goerlicensis Ecclesiae olim Meritissimus Primarius Pastor, cuius memoriam Oratione, propter beneficium acceptum, celebrabit vir egregie litteris sacris et elegantibus percultus et clarissimus M. Io. Gottfridus Geislerus, Lagnauius Lusatus, cuius Pater Maxime Reuerendus lo. Daniel Geislerus eodem merito cum defuncto, ecclesiae eidem nunc praest: cui oratori nostro, vt bene uole se praebant, et audiant ab hora IX. die Saturni proximo, summo studio rogamus Rectorem Magnificum, Illustrissimum et Excellentissimum Comitem, Indulgentissimum litterarum nostrarum Patronum Euergetem, reliquesque Illustrissimos Comites, Generosissimosque, et Ornatiſſimos, liberalium Artium Cultores. P. P. die XV. Sept.

A. C I O I O G G X L V I I I .

<sup>o)</sup> Inst. XII. V.

---

L I P S I A E  
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.





ÖSTERREICHISCHE  
NATIONALBIBLIOTHEK

ÖNB



